

**Król Kazimierz Wielki zatwierdza wilkierz spadkowy lwowskiej rady miejskiej, 28 XII 1360.**

Akta grodzkie i ziemskie z czasów Rzeczypospolitej Polskiej z archiwum tak zwanego bernardyńskiego we Lwowie w skutek fundacji śp. Alexandra hr. Stadnickiego. Wyd. staraniem Galicyjskiego Wydziału Krajowego, t. 3, Lwów 1872, nr 10, s. 27-28.

Odczyt: Kamil Sorka

Nos Kazimirus, Dei gracia Rex Polonie, notum facimus universis presencium noticiam habituris, quia consules et iurati civitatis nostre Lemburgensis nostra de voluntate pariter et asensu nostro speciali statutum seu arbitrium firmiter tenendum fecerunt et observandum, tale videlicet: Quod quicunque aliquem post concordiam habitam interfecerit, infra unum annum et diem ab ingressu seu introitu civitatis illius, in qua tale scelus perpetravit, debetur absentari. Item si quis gladium aut cultellum maliciose evaginaverit aut temere extrahere presumpserit, ille medii fertonis pena puniatur. Si autem coram uno vel duobus iuratis aut uno iurato et alio viro idoneo, licet non iurato, hoc factum fuerit, tunc idem pena fertonis integri puniatur. Preterea, si quis iuratorum, ad discordantes veniens, ipsis indixerit et pacem mandaverit habere et illi a lite cessare noluerint, similem penam videlicet debet sustinere unius fertonis. Ceterum quod si tempore incendii seu igne importune exeunte domus alicuius civis predicte civitatis disrupta aut fracta fuerit, vicini cives in eadem parte et linea sibi commorantes, ad quos idem posset ignis devenire, ad reformacionem et reedificacionem ipsius fracte domus impendere et dare iuvamen teneantur. Item quod quicumque cum lancea, cuspide, balista, arcu vel aliis quibusvis armis minus iustis ad litem et discordiam accurret in subsidium alicui, ut pena antedicta, videlicet uno fertone, pro civitatis reformacione et melioracione puniatur. Et si quis pro pena transgressorum huiusmodi statuta transgrediencium advocatum aut consules vel aliam quamlibet personam supplicare presumpserit, eadem pena, qua transgressores puniantur, et illi debent puniri. Insuper quod domina aut mulier quelibet post mariti sui obitum, cum consanguineis seu cognatis dicti mariti sui quibuslibet utriusque sexus omnes res mobiles et immobiles per medium dividere debet et teneatur. In cuius rei testimonium et evidenciam pleniores nostrum sigillum presentibus duximus appendendum. Datum Cracovie in die Sanctorum Innocentium Anno Domini Millesimo CCC Sexagesimo.

[hasła: wilkierz, Lwów, mieszkańie, prawo miejskie, wdowa, dziedziczenie beztestamentowe, dziedziczenie między małżonkami, krewni, rzeczy ruchome, nieruchomości]